Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

PERIPNEVMONIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE ET RELIQVA

PRAESIDE

IOANNE ADOLPHO WEDELIO

PHILOS. ET MED. D. PRAXEOS ET CHIMIAE P. P. ORD. SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM CONSILIARIO ISENACENSI AVLICO ET ARCHIATRO ET ACAD. NATVR. CVRIOSOR. COLLEGA

PATRONO AC PRAECEPTORE OMNI PIETATIS CVLTV VENERANDO

PRO LICENTIA

GRADVM DOCTORIS INSIGNIA ET PRIVILEGIA

MORE MAIORVM RITE CONSEQVENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISSA

A

DAVIDE GÖMÖRI

ROSNAVIA HVNG. GÖMÖRIENSI

AD D. DECEMBR. AN. M DCC XXXIII.

LOCO ATQVE HORIS CONSVETIS.

IENAE, LITTERIS RITTERIANIS.

I. N. I.

§. I.

PERIPNEVMONIA eſt inflammatio pulmonum, cum febre acuta, a ςάσει ſanguinis actiuioris & fermentifici dependens, & varia ſymptomata excitans.

§. II.

Subiectum peripneumoniæ ſunt pulmones, ſiue vterque eorum lobus, ſiue alteruter tantum, & quidem vel ex toto, vel ex parte, ita adfectus ſit. Nam ſemper peripneumonia appellatur, modo pleuræ inflammatio non ſit coniuncta. Non enim, vt quidam volunt, tantum peripneumonia dicitur, ſi vterque lobus ita laboret, nec ſi altera pulmonum medietas inflammata ſit, pleuritis recte vocatur, niſi eo in caſu, quando pleura vna inflammationem ſubiit, quod equidem quidam, ſemper fieri, exiſtimant, quibus tamen experientia contradicit. Id autem obſeruamus, quod pleuritidem vocent auctores, ſi pleura inflammata ſit, ſiue ſola ita laboret, ſiue pulmones vna inflammationem ſuſtineant. Hoc frequentius videtur, & haud pauci exiſtimant, ſemper id ita euenire, vt, pleura inflammata, etiam vicina pulmonum pars itidem inflammatione vna correpta ſit. Obſeruationes

autem teſtantur, ſectione cadauerum inſtituta, pleuram etiam ſolam fuiſſe inflammatam & corruptam deprehenſam, ſine vlla pulmonum labe. Quoniam itaque duplex ita deprehenditur pleuritis, vna, quæ coniunctam habet peripneumoniam, altera autem, quæ ſibi relicta eſt, ſine pulmonum inflammatione; illam pleuropneumoniam, hanc pleuritidem ſimpliciter, dicendam eſſe, quidam non ſine cauſa contendunt. Cum autem modus ita loquendi a tot ſeculis inualuerit, vix mutari valet, & etiam hic loquendum cum vulgo, & ſentiendum cum doctis. Rem enim ipſam ſi ſatis cognitam habeamus, & in deprehendendo, & curando, adfectu præſente haud aberrabimus, licet idem nomen vterque habeat. Legi de his meretur *Io. Freind. Commentar. V. de Febr. ad Hippocr. de Morb. Popul. Libr. I. & III. accommodat.*

§. III.

Cum pulmones ex diuerſis partibus conſtent, quæ diuerſa continent fluida; ſolidæ autem per ſe calorem nunquam concipere queant, & ex fluidis ſolus ſit ſanguis, qui calet, reliquisque calorem communicat, hic vero in vaſis ſanguiferis hæreat, & quidem in arteriis talem mutationem ſubeat, vt magis, quam par eſt, caleſcat, ſequitur, vt arteriæ pulmonum, tam bronchiales quam pulmonales, ſubiectum principale ſint huius inflammationis, ſiue illæ, ſiue hæ, prius, ſiue vtræque ſimul, ita adficiantur.

§. IV.

Immediata huius inflammationis cauſſa eſt proportio maſſæ ſanguineæ in ante dictis arteriis ita vitiata, vt particulæ ſulphureo-ſalinæ, veteribus bilioſæ dictæ, eminentiores fiant, ſeroſæ blandæ vero deficiant. Hoc enim modo ſanguinis motus inteſtinus redditur maior, & euolutio particularum ignearum copio-

copioſior, quæ, liberatæ, etiam adhuc magis eandem euolutionem ex reliquo ſanguine augent, ergo calor maior & præternaturalis oritur.

§. V.

Proportio hæc vitiata euadit ob ſanguinis actiuioris motum progreſſiuum in arteriis dictis impeditum. Adeoque ſanguis ita peccans cauſſa mediata proximior eſt. Sanguinis hoc vitium ςάσις vocatur, quæ notat effluxum ex arteriis impeditum, adfluxu vegeto continuante, & hinc ſpecies obſtructionis arteriarum inæqualis adeſt. Sedes præcipua obſtructionis huius ſunt extremitates arteriarum minimæ, quæ ſanguinem accedentem haud libere transmittunt, ſed obicem ipſi ponunt, vnde in iis ramificationibus maioribus, quæ exitum alium non habent, quam per has extremitates obſtructas, ſanguis accumulatur, & easdem diſtendit, inde fit tumor & dolor, ſerum autem per poros laterales ſeu oſcula ſecedit & exprimitur, pars vero maſſæ ſanguineæ rubicunda augetur, vt & in hac abundantes particulæ ſulphureo-ſalinæ, & inde calor & rubor in parte fit maior. Patet ergo, quomodo proportio maſſæ ſanguineæ in arteriis dictis per ſtaſin vitietur. Cumque per venas aliqua ſanguinis, ita mutati & ferue facti, quantitas ad reliquam ſanguinis maſſam redeat, in eadem, cum tunc maxime ad id habilis ſit, febrim acutam accendit, quæ comes peripneumoniæ eſt perpetuus.

§. VI.

Attritum ſanguinis arterioſi, in vaſis capillaribus ſtagnantis, a motu reliqui cruoris moti, etiam hic fieri non poſſe, tardior motus progreſſiuus, in arteriis adfectis redditus, probat, qui maior ſemper requiritur, ſi attritum maiorem efficere debeat, minor autem cum euaſerit, minor quoque eſt attritus. Ergo ca-

loris maioris cauſſa hic non eſt. Videmus etiam, fluida ſolidis, quæ attritum in ſe inuicem exercent, & calorem inde concipiunt, interpoſita attritum imminuere, caloremque, alias ſine his euenientem, impedire. Exemplo ſint axes rotarum molarium, qui, ſicciores incumbentes ligno vel ferro, calorem, imo ignem tandem, ſua rotatione & attritu excitant. Hunc effectum impedit aqua guttatim in axem ſtillans. Ne vero quis putet, aquam id efficere, quia igni alias contraria eſt, ſebum interpoſitum idem præſtat, vt & axungia in curru axem defendit, ne ignem frictione ſeu attritu concipiat, cum tamen pinguia hæc corpora ad calorem & ignem ſuſcipiendum aptiſſima ſint. Tantum ergo abeſt, vt ſolo attritu fluida calorem poſſint concipere, vt potius eundem in ſolidis impediant & temperent.

§. VII.

Nec animæ ſeu menti tribuere poſſumus hanc efficaciam, vt per motum tonicum auctum calorem maiorem excitaret, quo ſtaſis illa expediretur, quia nec motum hunc tonicum in ſua habet poteſtate, nec per eundem, vt credunt, fortior fit transpulſus viuidi ſanguinis per coagulatas ſeu ſtagnantes partes. Nam tardior ſemper redditur motus ſanguinis progreſſiuus in parte inflammata.

§. VIII.

Στάσις laudata oritur vel ipſius maſſæ ſanguineæ, vel extremitatum arteriarum, culpa. Sanguinis maſſa in culpa eſt, ſi peccet vel quantitate vel qualitate. Quantitas ſanguinis nimia per ſe quidem eam non facit, ſi autem qualitate vna aberret, tunc eo promptius illa fit. Qualitas ſanguinis vitioſa ςάσιν infert, ſi ſit vel nimis acris, bilioſus, fermentificus, vel ſpiſſior. Acris bilioſius ſi ſit & rarefactus, extremis arteriolis criſpaturam

turam inducit & anguſtiam, vt pergere hinc nequeat. Spiſſior autem, quam vt per extremitates arteriolarum minimas prompte fluere valeat, itidem ibidem ſubſiſtere cogitur. Spiſſitudo autem vel a defectu ſeri fit, vnde acrimonia bilioſa ſimul redditur maior, vel a pituita lenta abundante intermixta; vnde notha peripneumonia oritur.

§. IX.

Extremitates arteriarum minimæ in culpa ſunt, ſi earundem fibræ vel abbreuientur, quo anguſtia ipſis conciliatur, & ſanguini tranſituro obex ponitur; vel in vnitate lædantur, & debilitentur, vnde tranſitus ſanguinis impeditus quoque redditur. Abbreuiantur autem fibræ non ſolum ab ipſa ſanguinis acrimonia bilioſa, ſed a quibuslibet acribus, vnde vnde ad illas accedentibus, ſiue per aerem inſpiratum, ſiue per alimenta, vel adſumpta alia, vel alia ratione, illuc accedant. In vnitate læſio fit vel a corroſiuis, vel a vulnere, vel a contuſionibus, vel a tenſione earum nimia.

§. X.

Ad has cauſſas producendas faciunt reliquæ cauſſæ, mediatæ remotiores dictæ. Temperamentum enim bilioſum abundantiam bilioſarum partium iam habet, ſed naturalem adhuc, facilior autem tunc eſt earundem augmentatio. Sanguineum temperamentum temperatiores quidem habet particulas ſalino-ſulphureas, actiuiores tamen quam in reliquis. Aetas virilis conſiſtens frequentius ita adficitur, ob actiuiores partes eminentes, & ſeroſas magis diſſipatas & abſumptas. Sexus virilis magis expoſitus huic malo eſt, in ſequiori autem non tam facile videtur, niſi vel menſium, vel lochiorum, ſuppreſſio anſam dederint. Denſior corporis habitus, ad tranſpirationem non ita habilis,

bilis, ad partium bilioſarum retentionem & exacerbationem magis diſponit.

§. XI.

Aer minus proportionatus eo magis hic nocere poteſt, quo magis immediate in pulmones recipitur, præter illam efficaciam, quam in totam ſuperficiem corporis exercet. Nimis calidus itaque & nimis frigidus, maxime vero hic, & hiemalis, frequentius malum hoc inuitat. Ille ſerum blandum nimis difflando, & partes bilioſas nimis acuendo; hic autem ſtringendo fibras extremarum arteriolarum, ſanguinem ſpiſſando, acrimoniam augendo, poros cutis conſtipando, potiſſimum calefactum prius corpus adficiens. Idem humidior vel auſtrinus ſi ſit, poros obſtruit, & tranſpirationem impedit. Effluuia corroſiua, mercurialia, arſenicalia, adſtringentia, coagulantia, & ſimilia, ſi contineat, damnum adfert. Alia corpus ambientia intemperata, vt balnea, nimis vel calida vel frigida, ſimilem noxam, ac aer eiusmodi, in ſuperficiem corporis præſtant.

§. XII.

Alimenta acria, aromatica, hinc & viſcida, craſſa, ſicca, vt & potulenta nimis ſpirituoſa, vinum generoſum, ſpiritus vini &c. aquæ paluſtres, niuales, craſſæ, partim acres bilioſas augent, partim earum ſeparationem, impediunt & ſpiſſitatem ſanguini conciliant, copioſius & frequentius adſumpta. Motus nimius, exercitia vehementiora, curſus, equitatio, clamor vehemens &c. tam alias, quam maxime in aere frigido, vel hoc ſtatim poſtmodum admiſſo, & in humores vitales, & in vaſa pulmonum, damnoſe agunt. Quies nimia lentorem maſſæ ſanguineæ auget. Vigiliæ nimiæ ſiccant, & actiuitatem partium bilioſarum augent. Animi pathemata vehementia vel exagitant humores, &

bilioſas

bilioſas acres partes euoluunt & acuunt, vel illos concentrant, coagulant, & ſtaſin eorum promouent. Illæ excretiones, per quas acres bilioſæ ſanguinis partes eliminationem & imminutionem adquirunt, ſi ſupprimantur, & impediantur, neceſſe eſt, vt hæ augeantur; vnde hæmorrhagiæ ordinariæ, menſes, hæmorrhoides &c. ſi cohibeantur, venæ ſectio indicata intermittatur, inuitare hoc malum poſſunt. Nimia quoque ſeri boni, per quamcunque euacuationem, abſumptio facta in culpa hic eſſe poteſt.

§. XIII.

Febres ardentes, vt & malignæ ac peſtilentes, tam alias, quam hanc inflammationem, aliquando excitant. Vicinarum partium inflammationes grauiores in peripneumoniam abiiſſe obſeruatum eſt, vt ex angina, pleuritide, paraphrenitide, fortioribus id fieri poteſt. Imo ab arthritide retrocedente, & a ſcabie retropulſa, vt & ex varicum ſuppreſſione, eam inductam fuiſſe, hiſtoriæ teſtantur. Ad hanc claſſem præternaturalem etiam pertinent venena, cauſtica, coagulantia & conſtringentia, quæ, in ſanguinem deriuata, etiam in hac parte vehementiam ſuam exerunt.

§. XIV.

Differentia peripneumoniæ a ſubiecto principali deſumpta hæc eſſe poteſt, vt alia ſit in arteria bronchiali, alia autem in arteria pulmonali, quæ tamen coniungi fere magis ſolent, nec vllis ſignis diſtingui valent. Maxime autem attendi debet illa, a ſubiecto deſumpta, diuerſitas, vt vel vterque pulmonum lobus inflammatus ſit, & vel in totum vel ex parte; vel alteruter lobus malum ſuſtineat, & quidem itidem vel maiore vel minore ſui parte. Ratione gradus eſt vel mitior vel grauior vel grauiſſima. Ratione moris primo eſt vel benigna vel maligna; deinde vel prima-

ria, quæ ſola eſt; vel comitata, vt ſi pleuritidem comitem habeat, quæ tamen ſub pleuritidis nomine conſiderari magis ſolet; vel ſymptomatica, quæ à febre ardente, vel alia inflammatione vicinæ partis, vel alio morbo orta eſt. Cauſſæ intuitu eſt vel vera ſeu exquiſita, vel notha. Illa eſt, quam deſcripſimus, hæc autem, quæ a pituita viſcida, in toto ſanguine præſente, prouenit, minorem calorem & febrem exhibet, non autem minus vitæ periculum. Ab excretione per tuſſim facta, alia eſt vel ſicca, in qua nihil eiicitur, alia humida, in qua excretio ſputi fit.

§. XV.

Cum ſanguis in arteriis pulmonum, quæ inflammationem ſuſtinent, accumuletur, easque extendat, (§. V.) bronchia autem inter arterias & venas media ſint, neceſſe eſt, hæc comprimi & anguſtari, vt expandi ſufficienter nequeant. Igitur, reſpiratio difficilis & frequens vt fiat, ſequitur. Atque hoc eo magis, quia febris acuta coniuncta eſt, ob quam ſanguis, in toto rarefactus, etiam reliqua pulmonum vaſa, magis, quam par eſt, expandit, adeoque bronchia comprimit. Sanguis in parte inflammata magis calidus factus, aerem, in bronchia receptum, calidiorem ſolito reddit; vnde exſpiratio calida vel feruida euadit. Hæc in maiore pulmonum parte ſi eueniant, vehementiorque febris adſit, maiore quoque gradu adſunt dicta ſymptomata. Fit ergo reſpiratio adhuc magis difficilis, citata, anxia, anheloſa, moleſta, inprimis ſi lateri incumbant. Supini enim cubantes facilius paulo ſpiritum trahunt. Adhuc grauiori in ſtatu omnem decubitum renuunt, cum decumbentibus metus ſuffocationis accedat; quem vt arceant, ſedere coguntur. Feruidior quoque tunc oritur exſpiratio, maiusque aeris frigidi deſiderium ſentiunt. Ex his igitur etiam pendet

pecto-

pectoris totius, & præcordiorum, grauitas & diſtenſio, de qua ægri conqueruntur.

§. XVI.

In peripneumonia nec diſtenſio iam tacta, nec acrimonia ſanguinis, tantum dolorem, ac in aliis partibus, efficit, ſed leuiorem & grauatiuum tantum, imo ſæpiſſime nullum, vel tantum in principio apparentem, poſtmodum autem diſparentem, quia laxior pulmonum eſt textura, tenſionemque facilius ſubiens, & alias quoque minus acuto ſenſu gaudent, vt etiam ex vulneribus ipſis inflictis notum eſt, quæ itidem fere ſine dolore ſunt. Circa ſpinam dorſi in quibusdam eueniens dolor mediaſtino, pulmones ibidem connectenti, & ſimul adfecto, debetur. Magis autem ſenſilis eſt interior bronchiorum tunica, quæ a partibus acribus, ex ſanguine, ibidem ſubſiſtente, ad hanc penetrantibus irritatur, vt hinc tuſſis vrgens inde excitetur, & quidem vel ſicca, ſi attenuatio ſanguinis ſubſiſtentis, ob maiorem ſeri fluxilis defectum, haud fiat, vel cum ſputo, ſi hæc adſit, & hinc ſecretio humoris ex arteriis in bronchia notabilis contingat.

§. XVII.

Sanguis, in parte pulmonum inflammata accumulatus hærens, cum pergere minus poſſit vt decet, minor eius quantitas per venam pulmonalem ad auriculam cordis ſiniſtram & ventriculum ſiniſtrum redire poteſt. Præterea ob reſpirationem impeditam, paruam & citatam, impeditior quoque ſanguinis per pulmones tranſitus, adeoque & ad ſiniſtrum cordis ventriculum reditus, fit. Patet itaque ratio, cur pulſus exilis, ex celeri frequens, mollis, & inæqualis in his ægris occurrat, magnus enim & vndoſus, mollis tamen ſimul, a quibusdam obſeruatus, abundantiæ ſanguinis maiori in toto, & rarefactioni eiusdem, tunc debetur.

§. XVIII.

Quoniam ita ex dextro cordis ventriculo progreſſus ſanguinis per arteriam pulmonalem impeditus eſt, venæ etiam, ad auriculam dextram ſanguinem aduehentes, non depleri ſatis cito poſſunt, adeoque etiam venæ temporum turgent, & arteriæ reſpondentes magis repletæ permanent, igitur & hic aliqua ſtaſis fit, licet non tanta, vt inflammatio conſurgat, vnde oritur rubor inſolitus maxillarum, oris, faucium, linguæ &c. oculi eminent, nares ſimæ in ſummo euadunt.

§. XIX.

Præſentem itaque peripneumoniam eſſe, tam febris acutæ, quam inflammationis ipſius, ſymptomata, in ægro occurrentia, oſtendunt. Horripilatione enim prægreſſa, calor ſe manifeſtat, diuerſi gradus in diuerſis ſubiectis, prout particulæ ſalino - ſulphureæ acres magis eminent, ſeroſæ autem magis vel minus deficiunt. Haud raro inæqualis obſeruatur calor, vt in ſuperficie corporis remiſſior & humidior appareat, in partibus interioribus autem ſiccior & ardentior, quod ipſi inflammationi partim debetur, partim malignitati coniunctæ. Malignior enim ſæpe hæc eſt febris. Pulſus ratio diuerſa iam recenſita vtrique debetur malo, & febri & inflammationi, qui crebrior eſt, ſi febris ſit ardentior, minus vero creber, ſi febris ſit comatoſior. Adſunt præterea vires debiles, appetitus proſtratus, ſitis, vigiliæ, ſomni breues, comatoſi, anxietas, inquietudo, iactatio, delirium, vrina ruffa, aliaque. Inflammationis autem huius ſymptomata iamdum recenſuimus & declarauimus. Ratione ſputi autem, tuſſim comitantis, adhuc notandum, quod idem primitus tenue, rubellum, vel flaueſcens, deinde autem coctum magis appareat, cruentum quoque aliquando occurrit, hinc & purulentum, aliisque modis varians. His ſi iun-

gamus cauſas mediatas remotiores, naturales, non naturales & præternaturales, quæ in quolibet ægro occurrunt, omnia in promptu erunt, quæ ad diagnoſin huius mali pertinent.

§. XX.

Periculoſum admodum hunc morbum eſſe, docet tam febris acuta, eaque non raro maligna, quam eiusmodi partis inflammatio, quæ actioni vitali, reſpirationi nempe, & circulo ſanguinis promouendo, dicata eſt, & in perpetuo motu eſt conſtituta, & textura teneriori, facile deſtructionem recipiente, gaudet. Spes aliqua ſalutis ſupereſt, ſi mitiora ſint omnia, vel talia appareant indicia, ſtaſin ſanguinis in pulmone expediri, febrim autem in toto ſuperari, poſſe. Mitior itaque febris, magisque benigna, reſpiratio paulo facilior, vires non nimis proſtratæ, minor vnius pulmonum lobi pars, & minus, adfecta, in bonis ſunt, vt & abſentia aliorum grauiorum ſymptomatum. Inprimis autem vires, ad morbum ſuperandum ſufficientes, & ſigna coctionis, tam in ſputo quam in vrina, apparentia, & conſtantia, grauiori etiam paulo ſtatu præſente, ſpem concedunt ſalutaris euentus. Inter initia morbi expectoratio ſuccedens, ſputum flaueſcens & rubellum, ſeu non multo ſanguine permixtum, exhibens, bonum præbet indicium. Specialiora modus euentus declarabit.

§. XXI.

Contraria his ſi adſint, malum euentum teſtantur. Vterque enim pulmonum lobus ſi inflammetur, vel alteruter totus, vel maior vnius pars, & quidem vehementius, febris adſit ardentior, vel malignior, reſpiratio ſumme difficilis, vt, niſi erectum ſitum habeat æger, ſuffocatio immineat, ſputum nullum appareat, ſtertore ſuffocatiuo præſente, vel id die ſeptimo demum acce-

dat, & minus rite pergat, ſi valde ſpumoſum, bilioſum, ſincerum, cruentum, & floridum vehementer, nigricans, viride, inæquale, procedat, vires maxime deficiant, vrinæ & ſputi coctio vel nulla, vel haud conſtans, videatur, certum exitium inſtat. Euenire autem talia ſolent, ſi temperamentum ſiccius & bilioſus, habitusque corporis ſiccior, adſit, febris ardens, angina, pleuritis, initium malo dederit, vel aliæ cauſæ grauiores præceſſerint. Senibus & grauidis pernicioſum eſt malum. Peſſimum eſt, delirium phreniticum ſuperuenire, vigilias contumaces, ſomnos breues & comatoſos adeſſe, extrema frigida reddi, vngues liuidos & incuruatos fieri, ſanguinem per venam ſectam nigricantem, limoſum & valde corruptum exire, excretionem fieri vel ſanguinis, vel alui, ſymptomaticam, ſine ſignis coctionis, die non critico, ſine leuamine, viribus iam fractis. Obſeruatum quoque eſt, coryzam & ſternutationem copioſiorem, ſiue morbum præcedat, ſiue eundem præſentem excipiat, vitæ periculum minitari, cum ſerum acre ad reſoluendam ſtaſin minus ſit habile, ſed eandem deteriorem reddat. Pure facto, ſi nec pulmones, nec reliquæ partes, ad quas ruit, liberari mature, & perfecte, ab eodem queant, mortiferum id eſt, ſiue ſubito mors inuitetur, ſiue phthiſis & hectica, ſic inducta, eam lentam inferant. Vbique autem pulſus deficiens, mortem iamiam accedere, declarat, quem extremorum frigus aliaque praua, tunc præſentia, comitantur.

§. XXII.

Inflammatio hæc acutorum morborum terminum ſeruat, hinc frequentius diebus ſeptem vel quatuordecim iudicatur, nonnunquam & circa decimum octauum vel vigeſimum diem. Interdum vero acutiſſima eſt, vt intra triduum vel quatriduum necet. In alium

autem

autem morbum ſi mutata fuerit inflammatio, eiusdem conditionem ſequitur vlterior exitus, huiusque tempus, illa enim deſiit.

§. XXIII.

Modus euentus peripneumoniæ generatim idem eſt ac aliarum inflammationum. Abit enim vel per diſcusſionem & reſolutionem laudabilem, vel ad ſuppurationem, vel ad indurationem, vel ad *νέκρωσιν*. Ad ſalutem optime tendit per diſcusſionem & reſolutionem dictam, per ſuppurationem autem tunc tantum, ſi & pulmones, & reliquæ corporis partes, a pure penitus liberentur, nullaque læſio inde relinquatur. Ad mortem autem pergit inprimis ſuffocatione, hinc & reſolutione ſanguinis deſtructiua. Suffocationem infert tam ſanguis, nimia repletione & diſtenſione pulmonum, eaque minus, nec natura, nec arte, correcta; quam purulenta inde nata materia, bronchia pulmonum replente, quod ſubito ſæpe euenire ſolet. Reſolutio ſanguinis deſtructiua vel citius fit, vel tardius. Citius ea ingruit a febri maligniori ſimul præſente, vt & tranſitu facto in gangrænam & ſphacelum ſeu *νέκρωσιν*. Tardius ea contingit, ſi in ſcirrhum, hecticam & phthiſin abeat malum.

§. XXIV.

Diſcuſſio & reſolutio laudabilis vel ſine euacuatione manifeſta contingit, vel cum eadem. Illa tunc aliquando obtinetur, ſi mature, & ad primum mali ſenſum, medicamenta apta adhibita ſtaſin expediant, vbi, circulo ſanguinis in hac parte reſtituto, ſeceſſum per tranſpirationem inſenſibilem adquirunt partes acres biliosæ fermentificæ. Cum autem communisſime initium mali negligatur, & ægri tunc demum medici requirant opem, ſi ſponte ceſſare nolit, etiam talis diſcusſio eſt rarisſima. Magis itaque videtur reſolutio laudabilis

dabilis cum excretione, & quidem vel per ſputum, quod frequentius & optime fit, vel per aluum, vel per vrinam, vel per ſudorem, vel per hæmorrhagiam narium, vel per menſes, vbi tamen haud raro, imo ſæpius, ſputi debitus coniunctus eſt exitus. Omnis autem eiusmodi excretio ſalutaris tunc demum expectari poteſt, ſi vel febris ſit mitior minusque maligna, reſpiratio facilior paulo, vel mitiora hæc omnia reddantur per excretionem euenientem, viribus ſatis conſtantibus.

§. XXV.

Per ſputum liberationem futuram eſſe, exinde conſtat, ſi ſub initio ſtatim appareat, & quidem flaueſcens, paucum ſanguinem remixtum habens, commode, & ſufficiente quantitate, prodeat, breui album, blandumque fiat, & conſiſtentiam mediocrem oſtendat, adeoque coctum, haud vero crudum, ſit, &, ipſa hac excretione bene ſuccedente, reſpiratio fiat facilior, dolor & moleſtia, ſi adſit, minuatur, febris temperatior reddatur, pulſus euadat melior, viresque non tam minuantur, quam conſeruentur, & tantillum robur maius adquirant.

§. XXVI.

Eadem materia, reſolutione bona fiente, ad aluum nonnunquam diuertitur, vnde multa bilioſa & ſpumoſa cum euphoria excernuntur, quod fit, ſi & mitior ſit morbus, & ſigna coctionis tam in ſputo quam in vrina adſint, aliaque ſigna bona appareant. Quando autem grauior eſt morbus & malignus, ſine coctionis ſignis, viribus magis reſolutis, exitii magis ſignum eſt diarrhœa ſuperueniens, a deſtructiua enim fit reſolutione, vnde nullum leuamen ſymptomatum ſequitur, ſed exacerbatio. Atque hæc etiam aliquando, immoderata ſeu diutius, quam par eſt, continuans, damnoſa

eſt,

eſt, vires enim atterit, &, ſi remediis eam corrigere velis, expectoratio, ſumme tamen neceſſaria, cohibetur.

§. XXVII.

Per vias vrinarias etiam in quibusdam ſalutaris excretio occurrit, correcta, attenuata, & ſeceſſum adquirente, materia inflammatoria, quod ante diem ſeptimum euenire ſolet. Copioſa hinc & craſſior vrina ſecedit, ſedimentum exhibens rubrum, ad albedinem ſucceſſiue vergens. Sequitur hinc alleuamentum omnium ſymptomatum, critica ergo tunc eſt euacuatio. Aliquando & ſudor criticus die critico erumpit per totum corpus, morbumque ſoluit. Itidem coctionis, aliisque, ſignis bonis prægreſſis. Interdum & hæmorrhagia narium, in feminis etiam menſes, critico die accedentes, euentum bonum præbent, grauiori etiam paulo malo exiſtente. Fieri hoc magis ſolet in iunioribus, bilioſis & ſanguineis, itidem præcedentibus indiciis coctionis in ſputo & vrina. Sine his ſi fiat fluxus ſanguinis, & pituitoſa magis adſit ſimul conſtitutio, nihil boni promittit.

§. XXVIII.

Ad ſuppurationem res peruenit, quando grauior eſt morbus, non tamen vehementiſſimus, nec reſolutio bona intra ſeptem vel quatuordecim dies obtineri potuit, adeoque nihil ante dictorum apparuit, febris tamen continuat, reliquaque ſymptomata, mortem tamen non innuentia, perſtant. Sanguis itaque, reſolui non valens, mutatur in pus. Pus iam factum vel e loco ſuo exit in alium, vel ibidem permanet. Si exeat, aut per viam iam præſentem id fit, vel per nouam, præternaturaliter factam. Præſentem viam conſtituunt tam oſcula, quæ alias ex arteriolis ſerum in bronchia perducunt, quam orificia venarum pulmonalium. Per has vias fertur, ſi pus ſit blandius, tenuius, & fluxile

magis, & quidem vel perfecte, vel in receſſu vitium adhuc aliud oſtendens, concurrente vna maiore habilitate harum viarum ad id recipiendum. Per oſcula dicta ſi perferatur ſucceſſiue, ſufficienter tamen, & conſtanter, donec omne per tusſim abſumptum ſit, ſymptomata omnia minuuntur, & tandem ceſſant, adeoque ſic etiam perfecta peripneumoniæ ſolutio fit.

§. XXIX.

In venulas pulmonales ſi pus reſorbeatur, magisque laudabile ſit, ſanguini confuſum ſimul, vel ad vias vrinarias perfertur, vel ad inteſtinorum canalem, vbi ſecretione facta, eliminationem ex corpore plenariam ſubit, ægerque ſanus redditur. Sin ad hanc euacuationem ſalutarem pus haud aptum ſit, ad alias partes eiusdem decubitus fieri ſolet. Hic decubitus in partibus externis, vt pone aures, vel in partibus inferioribus, ſi eueniat, abſceſſus ibidem oritur, pulmo autem liberatur, ſi ante diem nonum fiat, & ſuppuratio hic rite ſuccedat, & pure ſufficienter, vel alias, vel fiſtoloſo vlcere euadente, educto, conſolidatio ſequatur. Peſſimum autem eſt, ſi, ſignis coctionis nullis præſentibus, ex his partibus denuo reducatur in ſanguinem eadem materia, priſtinam pulmonum ſedem iterum occupet, & de nouo peripneumoniam faciat, lethale enim id eſt. Nec quoque tunc abſceſſus dicti externi ſatis tuti ſunt, ſi, vbi iamdum inchoatum eſt purulentum ſputum, hi ſuperueniant, & reliqua ſymptomata nec ſatis mitigentur, nec cedant. Ad internas autem partes decubitus purulentæ materiæ, a venis pulmonalibus reſorptæ, vt ad cerebrum, hepar, lienem &c. ſi oriatur, vel abſceſſus, vel morbus alius, exitialis inde conſurgit.

§. XXX.

Nouam viam ex loco, vbi natum eſt, pus ſibi parat potiſſimum eroſione, quæ, eodem acriori facto, in

in fibrillis his tenerioribus conſequitur; adæquate etiam tenſione, licet enim non penitus diſcerptæ eroſione fuerint fibræ continentes, debiliores tamen & tenuiores eædem factæ, reſiſtere preſſioni contenti humoris nequeunt, inprimis ſi ex partibus vicinis eiusdem impetus euadat maior, adeoque rumpuntur. Fit autem hæc apertura vel in bronchia, vel in cauitatem thoracis. In bronchia ſi fiat hæc exigua, vt pus, illuc allatum, tuſſi & ſputo depleri ſufficienter & ſucceſſiue poſſit, non quidem ſubitaneum periculum vitæ emergit, metus tamen eſt, ne vlcus habituale in pulmonibus conſurgat, ipſaque phthiſis ſuccedat, plenaria repurgatio & conſolidatio obtineri ſi haud queat, ſanguinis ſtatu ad hoc vitium inclinante. Maior autem ſi ruptura verſus bronchia euadat, vt pus vno impetu irruat, non poteſt aliter fieri, quin ſubita ſuccedat ſuffocatio, interceptis vna vice omnibus ſpiritus viis. In thoracis cauitatem tranſitus puris ſi fiat, in empyema abit morbus. Hærens hoc loco pus, ſi laudabile, tenue & blandum ſit, aliquando reſorbetur per bronchia pulmonum, aliquando etiam per venas pulmonum; ibi fit expectoratio ſucceſſiua, quæ ad quadraginta dies nonnunquam durare ſolet; hic aut ſeceſſus puris per aluum ſequitur, aut per vrinam eiusdem fit depletio. Liberatione perfecta hoc modo facta, ſanitas ægro redditur. Viſcidiore autem acrioreque pure præſente, nec eductionem ſufficientem adquirente, vel per phthiſin, vel per ſuffocationem, mortem infert.

§. XXXI.

Quodſi autem pus in eodem pulmonum loco, vbi generatum eſt, permanet, diuque ibidem perſiſtit, quod inprimis fieri ſolet, ſi ſit viſcidius, nec acrimonia ſua diſcerpere fibras continentes valeat, tunc hectica febris ſuperuenit, tuſſi ſicca ſimul moleſtiam creante, debilitatur & conſumitur æger. Viribus ita fractis, ſi

vel maxime tunc demum disruptio abſceſſus fiat, & pus in thoracis cauum effundatur, vel omne, vel maximam partem, melius quidem ſe habere æger videtur, ſpes tamen ceſſat, ſi vires haud amplius adſint, vt expectoratio decens & ſufficiens fiat. Subito autem perit, ſi etiam hic abſceſſus, ad bronchia apertus, ſubito eadem obturet.

§. XXXII.

Si ſanguis in inflammata pulmonum parte dimittat particulas actiuiores, relinquantur autem craſſiores, viſcidiores, & inertes, quod rariſſime, aliquando tamen, fit, ſequitur induratio ſeu ſcirrhus pulmonis, permanet reſpiratio ſumme difficilis, tuſſis ſicca, miſeramque vitam agunt ægri, vt diu ſuperuiuere haud poſſint, aliis grauioribus tandem accedentibus. Deteriora dicta ſymptomata fiunt ab adſumptis quibuslibet, vt &, ſi tantillum ſe moueat æger.

§. XXXIII.

Νέκρωσις ſequitur inflammationem, ſi hæc ſummum adquiſiuerit gradum, ſeu gangræna euadat, vnde ſubito illa ſeu ſphacelus ſuccedit. Timenda autem eſt gangræna, ſi omnia ſint vehementiſſima, calor ardentiſſimus, ſumma virium proſtratio, cito accedens, omnibus fruſtra adhibitis, frigus extremorum ſuperueniens. Actu adeſſe manifeſtat ſputum ſuccedens tenue, crudum, viride, nigricans, liueſcens & fœtidum, vnde breui mors ſuperuenit.

§. XXXIV.

Curatio peripneumoniæ generatim in eo conſiſtit, vt ςάσις ſanguinis in pulmonibus expediatur, & quidem per diſcuſſionem & reſolutionem laudabilem. Quodſi autem hæc obtineri non poſſit, ſed ſanguis ſubſiſtens in pus abeat, ſuppuratio blande promouenda, purisque maturi eductio decens iuuanda, eſt, ſymptomatibus autem vrgentibus proſpiciendum venit.

§. XXXV.

Στάσις hæc vt expediatur per diſcuſſionem vel reſolutionem laudabilem, neceſſe eſt, vt vitia tam maſſæ ſanguineæ, quam extremitatum arteriarum corrigantur. (§. VIII. IX.) Nimia itaque ſanguinis quantitas ſeu plethora ſi adſit, inflammatio ſit magna, vires conſtent, & principium adhuc mali ſit, mature venæ ſectio adhibenda eſt, quæ in latere, malo oppoſito, inſtitui ſolet, cuius quantitas ex abundantiæ gradu, reliquisque circumſtantiis, determinari debet. His autem conditionibus non præſentibus, omittere eandem conuenit. Cucurbitulæ etiam & ſanguiſugæ a quibusdam loco venæſectionis ſuadentur. Febris vero coniuncta hæc remedia non facile admittit, quin longe commodior ſit venæſectio.

§. XXXVI.

Acrimonia ſanguinis billioſa fermentifica corrigitur per ea, quæ particulas ſanguinis bilioſas, acres, corrigunt & euacuant. Corrigunt & euacuant easdem optime diaphoretica, media & fixa, quæ per totum morbi decurſum vtilia ſunt, vt mixtura bezoardica, ex tinctura bez. Wed. mixtura ſimpl. & eſſ. ſcordii, aliquot eſſentiæ anod. guttulis additis, eſſ. alexipharm. Stahlii, mixtura ſimplex, & ſimilia. Nec camphora nocet, nitroſis pulueribus refracte mixta, vt doſis vna granum ſemis, vel minorem adhuc quantitatem, recipiat, corrigit enim & difflat egregie. Ex fixis ſunt antimon. diaphoret. bezoard. minerale, pulueres bezoardici variorum, quibus miſcenda ſunt reliquis indicationibus inſeruientia. Euacuat etiam venæſectio, ſed tantum in feruidiori & plethorico ſtatu, reliquisque iam tactis præſentibus. Euacuant clyſteres blandi, ſuppoſitoria ſimilia, aluus ſi obſtructa ſit, vt & reliqua lenitiua, vt decocta ex fol. ſennæ, ſirupus violarum ſolutiuus,

lutiuus, ſir. roſarum ſolutiuus, caſſia recenter extracta. Non autem fortiora conueniunt, ſerum blandum nimis abſumentia, & maſſam ſanguineam exagitantia. Vomitoriis locus hic non eſt, licet ſint, qui eadem commendauerint. Tenerior enim ſtructura pulmonum, compresſione vehementiori inducta, magis inde læderetur, nec per hanc viam ex maſſa ſanguinea ſeceſſus harum particularum fieri commode poteſt.

§. XXXVII.

Corrigunt partes acres bilioſas etiam alterantia vel abſorbendo, vt diaphoretica iam dicta fixa, & abſorbentia ſimul reſoluentia, mox commemoranda; vel inuertendo & figendo, vt inprimis nitrum depuratum tam pulueribus, quam decoctis, miſcendum, ſaliaque media alia, arcanum duplicatum, tartarus, vitriolatus &c. hinc & acidula, vt tinctura flor. bellidis roſarum, papau. rhœad. clyſſus antimon. ſpiritus nitri dulcis, quæ in potum indi ſolent, & in decocta quandoque recipi; obtundendo, ſulphurea temperantia vt cinnabaris, anodyna, refracte reliquis adiecta, gelatinoſa, farinacea, & ſimilia, quæ vel in decoctis, vel emulſionibus occurrunt, ipſa enim humectantia vna huic ſcopo inſeruiunt, disſiungendo, & diluendo has particulas.

§. XXXVIII.

Spisſitudinem ſanguinis emendant partim diaphoretica, iam laudata, partim reſoluentia alia, & ſerum blandum & fluxile reſtaurantia. Reſoluentia reliqua, hic proficua ſunt antipleuritica alias dicta, inter quæ reperiuntur lap. cancrorum, mandibula lucii piſc. ppt. dent. apri, hippopotami, caſtoris, cornu cerui, philoſophice præparata, pulu. pleuriticus Wedelii, ſanguis hirci, ſperma ceti, quæ cum diaphoreticis, cinnabarinis, nitroſis, reliquisque miſceri poſſunt facile. Serum fluxile & blandum reſtaurant, aquea, vt potiores ex aqua card. bened.

card.

card. Mar. acac. ſcabioſ. papau. rhœad. ceraſ. nigr. bellid. cerefol. flor. ſambuc. cum pulueribus recenſitis, emulſiones ex ſem. card. bened. card. Mar. papau. alb. 4. frigid. maior. excorticat. cum dictis aquis, colaturæ dentes apr. mundib. luc. piſc. antimon. diaph. & ſir. pap. alb. addendo; inprimis autem decocta, ex rad. ſcorzon. glycyrrh. gramin. tarax. herb. card. bened. tuſſilag. veron. bellid. ſcabioſ. cerefol. flor. bellid. violar. ſcabioſ. ſem. card. bened. card. Mar. fœnic. aniſ. hord. mundi, caric. pingu. iuiub. ſebeſt. paſſul. min. raſur. cornu cerui, eboris, coquendo in aqua ſimplici, & colaturæ addendo vel tincturas acidulas, ſpir. nitri dulc. vel nitrum depuratum, oxymel. ſimpl. & ſquillitic. ſir. ſcabioſ. hyſſop. veron. flor. papau. rhœad. vel ſimiles alios. Seligi ex his debent ingredientia, ſpecialiſſimo ſtatui ægri magis apta, & in formam concinnam redigi. Aliquando & decocta minoris apparatus bona ſunt, vt decoctum hord. ſolum, addito nitro, oxymelite, aliiſque.

§. XXXIX.

Extremitatum arteriarum vitia hoc loco cum ſint fibrarum vel abbreuiatio, vel vnitas ſoluta (§. IX.), abbreuiatio autem ab acrimonia bilioſa aut alia dependeat, eadem hanc interius emendabunt, quæ §. XXXVI. XXXVII. allata ſunt. In vnitate autem læſio ſi adſit, huius ratio ex ſuis loculis eſt habenda.

§. XL.

Præter hæc recenſita etiam exterius lateri adfecto applicanda topica inſeruiunt, tum acrimoniæ bilioſæ temperandæ, & ſpiſſitudini ſanguinis corrigendæ, cum fibrarum extremarum arteriolarum corrugationi & criſpaturæ emendandæ, debita. Ex his ſunt olea externa ex ol. hyoſcyami, chamom. anethin. ſcorpion. amygd. dulc. addendo ol. petræ alb. ol. deſtill. aniſ. caru. fœnic. iuniper. ad aliquot

guttas,

guttas, inſtar olei polychreſt. Wedel. Loco horum etiam adhiberi poſſunt vnguenta, ex vngu. pectorali, rubro potabili, antipleurit. Mynſ. quæ ante dictis oleis & camphora roborari queunt. Commode inuncto loco poſtmodum imponitur ſacculus paregoricus, reſoluens & demulcens, calefactus, v.g. ex rad. malu. alth. herb. mercur. malu. cerefol. flor. chamom. Roman. vel ſimpl. melilot. ſummit. aneth. ſem. fœnigr. lini conquaſſ. fœnic. furfur. tritic. ſale comm. &c. Alii eligunt fotus ſpirituoſos, linteo triplicato vel quadruplicato applicandos, ex ſpiritu vini camphorato, ſpiritu theriacal. matricali, ſalis armoniaci, eſſ. croc. &c. Quidam lac calidum, vel decoctum ex ſimilibus ingredientibus, qualia ſacculos antea tactos conſtituunt, cum aqua & vino factum, veſicæ ſuillæ vel bubulæ includunt, & eodem partem dolentem fouent. Vaporem aquæ dulcis, vel decocti ex emollientibus aliisque parati, cum aere inſpirando attrahendum, quidam ſuadent non ſine fructu.

§. XLI.

His itaque remediis diſcusſio vel reſolutio laudabilis obtinetur, potisſimum & frequentius per expectorationem, adæquate etiam per reliquas memoratas vias; ipſaque febris, ablata ſic cauſa, vna tollitur. Si autem hic effectus haud conſequatur, ſed ſuppuratio accedat, iisdem remediis hæc blande promouetur, vt, niſi adhuc grauius ſit malum, pus maturum, & ad excretionem commodum, euadat. Continuanda itaque ſunt decocta laudata, medicamenta antipleuritica, reſoluentia, cum reliquis; ipſaque tusſis, acidulis interpoſitis, & per ipſam mixturam ſimplicem, conſeruanda, vt apertio abſceſſus contingat, purisque expectoratio, vel per alium commodum locum euacuatio, fiat.

§. XLII.

§. XLII.

Puris laudabilis excretione ſe exerente, abſtergentia, vlcusque mundificantia, balſamica, & miſcenda & interponenda ſunt reliquis. Adeoque mixturis addi tunc poterunt elix. pect. Wed. eſſ. myrrhæ, balſam. ſulphuris aniſat. eſſ. lignorum, eſſ. rad. pimpinell. albæ; pulueribus myrrha, thus, maſtix, ſperma ceti, & circa noctem blanda anodyna, vt extr. anod. maſſ. pilul. de cynogl. maſſa pilul. de ſtyrace, quæ & per ſe quandoque, vt & ex reliquis quædam, in pilularum forma dari poſſunt, moderata & conuenienti doſi, vt πεπασμὸν iuuent, minus autem expectorationem impediant; decoctis rad. 5. aperientes, bardanæ, chinæ, ſarſæpar. helen. herb. hyſſop. agrim. marrubii alb. pulmonariæ maculos. ſcord. hepat. nob. virg. aur. beton. flor. hyperic. cent. minor. raſ. lign. ſaſſafr. & ſimilia. Abſterſione ſufficienter facta, & depleto pure, conſolidantia & balſamica, pectoralibus iuncta & continuata, curationem abſoluunt.

§. XLIII.

Empyema ſi inde fuerit factum, nec dictis expectoratio obtineri queat, de paracenteſi cogitari poteſt. Reſorptum per venas pus, & alibi depoſitum, abſceſſum ſi efficiat, huic quoque, vt alias, remedia conuenientia applicari debent, ſemper ſimul attendendo, vt pulmonum liberatio plenaria eueniat. Et generatim in alium morbum ſi tranſierit peripneumonia, ad hunc dirigi debet curatio, prout huius ſtatus id poſtulat.

§. XLIV.

Ex ſymptomatibus vrgentibus in primis eſt expectoratio, prius procedens, poſtmodum autem ceſſans, adeoque tunc reſoluentibus laudatis maxime tentari debet eiusdem reditus, vbi decocta inprimis, ex dictis facta, vtilia ſunt, prodeſt etiam oleum bezoardicum

Wedelii, eſſ. pimpinellæ albæ, cuius aliquot guttæ, octo vel decem, vaſculo decocti herbæ Thee inſtillatæ, & ſucceſſiue ita ſumptæ, faciunt officium, repetendo, ſi opus ſit, hora vna vel altera interpoſita. Linctus etiam vtiles tunc ſunt, ex ſirupo violarum, hyſſopi, oxymelite ſimplici & ſquillito, melle virgineo ol. amygd. dulc. recenti & ſimilibus, reſpiciendo ad circumſtantias, quid ferant, quid minus.

§. XLV.

Coniungi præterea omnibus dictis debet legitimus rerum nonnaturalium vſus. Aer temperate calidus maxime eſt neceſſarius; humidiuſculum ſi pulmones ſicciores requirant, vapore aquæ dulcis, vel decoctorum emollientium, vel aliorum, reddi talis poteſt, qui per inſpirationem hauritur. Cibus tenuis, & humectans, vtilis eſt, vt iuſcula auenacea, gallinacea, aliaque temperata. Carnes teneriores & reſolubiles, ſi deſiderent ægri, minori quantitate concedi queunt, reliquæ autem vitandæ. Potus cereuiſiæ tenuioris conuenit, commodisſime autem decoctum hordei, vel auenaceum, interponitur, quod nitro, oxymelite, tincturis acidulis, aliisque pro re nata, adæquatum magis ſtatui præſenti reddi poteſt. Quies inflammationi & febri conueniens eſt, motus alienus. Somnus turbari haud debet. Animi adfectus vehementes omnes nocent, ideo arcendi ſunt quouis modo, & tranquillitas eiusdem conſeruanda eſt. Aluus aperta ſeruetur, & reliquæ excretiones rite procedant.

SOLI DEO GLORIA.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE CLARISSIMO DOCTORANDO

DN. DAVID GÖMÖRI

S. P. D.

DANIEL FISCHER

MED. DOCTOR

I. COMITATVS SCEPVSIENSIS ET REGIAE LIBERAEQVE CIVITATIS KESMARCK. PHYS. ORDIN. AC ACAD. CAESAR. NAT. CVRIOS. COLLEGA.

LAETVS profecto nuntium accepi, peripneumoniam Te pro themate elegiſſe diſſert. Tuæ inaugur. clar. GÖMÖRI; ſelegiſti reuera morbum, non modo exitu ſuo admodum periculoſum, & iudicio *Hippocratis lib. de loc. in homine n. 35.* ipſa pleuritide, malo per ſe grauiſſimo, ac periculi pleno, grauiorem, periculoſioremque; ſed &, quoad genium ſuum admodum intricatum, inuolutumque, ita, vt ſæpe idem euenire videas, quod de febribus ſic vulgo dictis malignis Medici clinici adnotatum reliquere, dum videlicet ſæpius

illi fato cedant, de quibus ſpem ſibi optimam & Medici acutisſimi fecere reconualeſcentiæ, e contra vero eos, ſuperſtites cernas, quos pro candidatis mortis iidem habuere. Sic enim ſæpisſime hocce malum Medicos etiam lynceos, inſidis ſuis ſignis deludit, artemque ipſorum, peruerſo vulgi iudicio exponit. Atque idem, non alia ex ratione euenire obſeruamus, quam quod & huic malo coniungatur febris, (ſemper enim illam ſibi coniunctam habet, ſed gradibus ſuis diuerſam) vnde eluceſcit veritas dicti *Hippocratis ſect. III. aph. XIX.* dum ait: Acutorum morborum, non omnino tutæ ſunt prædictiones, neque mortis, neque ſanitatis. Atque hoc malum, vti ſyndromen ſymptomatum clinicis exponit, ſic ex his, & cauſis coniunctis iudicium formari debet, quid æger patiatur? ac quomodo iuuari poteſt? Cauſæ autem antecedentes, cum non ſemper eædem ſint, imo ſæpenumero etiam contrariæ; ſymptomata autem ipſa, partim non ſem-

ſemper eodem apparent gradu, partim plurima adſunt, quæ hoc ſuſpendunt magis, plurima vero abſunt, quæ maxime formando iudicio Medico ſeruirent, vnde Medicum attonitum veluti tenent, quicquid ſentire iudicareque debeat, vix ſeſe reſoluere poteſt, donec vis morbi, vires hominis ſuperet, ægrumque mortis in prædam committat; ſicque iudicio eius ferendo, mors ipſa finem imponat, aut demum poſt mortem ſectio cadaueris anatomica, idem confirmet, vnde rectum iudicium Medicum difficile eſſe affirmauit *diuinus Cous ſect. I. aph. I.* Sed inſtituti ratio non permittit, vt in naturam mali huius, vberius, inquiram, firmiter credens, diſſertat. Tuam inauguralem ſingula continere, quæ de peripneumonia, ratione, atque vſu rerum confirmata, dici poterunt. Gratulor igitur Tibi, quod ſpecimen dare vis egregium, de principe morbo. Noui ingenium Tuum feliciſſimum, hinc profectus Tuos ignorare haud poſſum,

 qui

qui indefeſſo labore, ſupra vulgus ſapere, ſtrenue ſemper intendebas. Eruditione igitur Tua haud leuiter cognita, ſed & examinata, Hygæa quoque Tibi ſertam imponit Lauream, cum honoribus, & priuilegiis artis noſtræ ſummis. Ad quem actum, cum vniuerſos, qui literas amant, virtutique dant operam, Tibi applaudere videam, non poſſum, quin cum illis, ego quoque congratuler. Plauſibus itaque Tibi ab aliis impertitis, plauſus addo, atque vt fauſta & felicia omnia, ab immortali Numine eueniant, apprecor. Dabam Kesmarkini in Muſæo meo die 1. Ianuar. M DCC XXXIV.

* *
*

D. DA-

D. DAVID GÖMERI,

ROSNAVIA HVNGARVS

ANAGRAMMA

I ROSEO RITV, MACHAON, ARDVO GRADV DIGNVS.

QVAE iuga ſacra colis, Parnasſi turba nouenna
Pone moras: Phœbo carmina digna cane.
I ROSEO RITV; ſertis redimita niteſce,
Doctaque Pieridum limina Sparge roſis.
Et Tu Nympharum pulcherrima Deiopeia,
Inſtrue fumantes thure fragrante focos.
Tuque, cui Tenedos Pataræaque regia ſeruit,
Mox capiti docto, Phœbe parato mitram.
An neſcis, quod Pœonia præclarus in arte,
Iam totum GÖMERI, mente peregit opus.
Nam quæ Galenus, Podalirius, ipſeque Chiron,
Tradebant ſcriptis, pectore clauſa tenet.
Dicite Pierides: GÖMERI, nouus ipſe *MACHAON*
Dignus vt in faſtis nomen habere queat.
ARDVO & Hippocratis, quo nunc ornatur honore,
Atque *GRADV* ſummo *DIGNVS* vbique manet.
Dicite Pannonides; fortunet Numen honores
Pannoniis GÖMERI, Pœon vt eſſe queat.

Honoribus optimi ſui ciuis applaudendo; ſcribebat

M. IOANNES SARTORIVS,
Roſnauia Hung. SS. Theol. Cult.

DA-

DAVID GOEMOERI,

ROSNAVIENSIS HVNGARVS,

MEDICINAE DOCTORANDVS

ANAGRAMMATISMVS.

EXimium *decus es,* GOEMOERI, Patriæ & *Medi-*
corum,
Namque brabea tenes, quæ dare Apollo
ſolet,
Et Morbona tremit, ſoſpes iam plaudit Hygæa,
Vnde ægros ſana, proſper Apollo, diu.
Vi nudi doni, diui quoque *gratia honoris,*
Sic pia Muſa canit, ſic anagramma iubet!

In teſſeram amicitiæ clariſſimo doctiſſimo
Dn. Doctorando, gratulans, fauſto
omine adpoſuit

ANDREAS JVRAK, Hung.
Med. Cult. Opponens.